



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**M. DC. LXI. Coloniae Munatianaee, 1661**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62953](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62953)



# CONSTITUTIONES CLEMENTIS PAPÆ QVINTI, IN CONCILIO VIENENSI EDITÆ.

## PRÆFATIO.

Ioannes Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, doctoribus, & scholaribus universi Bononiae commorantibus, salutem & Apostolicam benedictionem. <sup>a</sup>

**Q**uoniam nulla juris sanctio, quantumcumque perpensa digesta confecta ad humanam nature varietatem, & machinationes eius inopinabiliter sufficit, nec ad decisionem lucidam, sue nodose ambiguitati attingit: in primis, quod vix aliquid adeo certum clarumque statuitur, quin ex lapsu emergentibus (quibus iura jam posita moderari non possint) in debitum recedat: Quia etiam ab adolescentia viri proclivis ad malum sensus humani declinat, per quod morum subversio in clero & populo frequenter obrepit: necessaria est superioris auctoritas, ut tam per determinationis opportuna sagacium tollat ambigua, lites auferat, altercationes dirimat, & obscura succidat, quam per auctoritatis providi sarculum extirpet vitia, virtutes inserat, corrigat excessus, mores reformet. Hec sane felicitis recordationis Clemens Papa quintus predecessor noster providenter attendit, & providè aspiciens de reformatorum reformationi prospicere, solvere difficulta, ac sanctiones questionibus & negotiis imminenti bus copiosas promulgare: Dudum nedom in Concilio Viennensi, quineriam ante & post ipsum concilium, constitutiones plurimas edidit, in quibus multa utilia statuit atque salubria, & nonnulla dubia in iudiciis & extra frequentata decidit. Et licet eas collectas in unum volumen, & sub congruis titulis collocatas mittere decrevisset, & dare in commune subiectis: assidua tamen occupatio circa magna, ac sortis humana condicio, que ipsum de medio sustulit, in causa fuerunt, quare suum in hac parte propositum non complevit. Nos etiam, qui sicut eidem (licet immeriti) in apostolatus officio, Domino permittente, successimus: sic & in affectus plenitudine, in iis, que compendium universi concernunt, succedere debemus, tot grandibus agendis & arduis fuimus, a nostra promotionis exordio, circumscripti, quod tam ex hoc, quam ex causis rationabilibus aliis, quas sub silentio providimus committendas, predictas vobis communicare constitutiones fuimus hactenus impediti. Nunc agere (opportunitate caprata) illas vobis sub bulla nostra transmittimus. Universitati vestre per Apostolica scripta mandantes, quatenus eas proprio affectu suscipiatis, & studio alacriter illas vobis manifestatis & cognitis usuri decetero in iudiciis & in scholis. Data Avinionæ, 8<sup>to</sup> Kalendas Novemb. Pontificatus nostri anno secundo.

<sup>a</sup> Hanc benedictionem primo introduxit Papa Cletus, loco cuius scribitur ab ecclesia præcelsa, Spiritum sanctum confilii. Et licet ista benedictio omnibus proficiat, qui tamen non student, non gaudent privilegio studii. 2. 7. 2. 2. & De his vide C. de contra. & consil. l. optimam. 2. q. ultim. bellorum. de proba. quoniam de re. iur. ad lib. 2. de q. in spe. de instrum. edit. s. restat.

DE SVM